

D. D.
**FUNDAMENTA
DIÆTETICA,**

QUE
DISSERTATIONE ACADEMICA,
VENTA EXPERIENT. FACULT. MEDICÆ
IN REGIA ACAD. ABOENSIS.

PRÆSIDE

VIRO Celeberrimo atque Experientissimo

**D:no Doct. JOHANNE J.
HAARTMAN**

ASSESS. atque Medic. PROFESS. Reg. & Ord.

Acad. Reg. Sc. Holm. Membro,

Pro Gradu Doctoris

Ventilanda exhibet

EMANUEL ELFVENBERG,

IN AUDITORIO MAJORI DIE

DECEMBRI

Anni MDCCCLXXVII.

H. A. & P. M. C.

ABOÆ, Impressit JOH. CHRIST. FRENCKELL,
Reg. Acad. Typogr.

S:æ R:æ M:ts
MAGNÆ FIDEI VIRO
Provinciae Savolaxiensis GUBERNATORI
CELEBRATISSIMO,
Ordinis Regii Ensiferorum
EQUITI SPLENDIDISSIMO,
Perillustri atque Generosissimo
DOMINO
D:no OTTONI ERN.
BOIJE,
MÆCENATI SUMMO

Sacrum.

FUNDAMENTA DIÆTETICA.

PRO O E M I U M.

Machina corporis nostri est quidem tam summa sapientia, quam mirabili providentia constructa, quæ tot vitæ communis mutationes atque aberrationes usque ad summam senectutem ferre potest. Hæc namque, commodiorem dum degimus vitam, subsistere potest, insimul vero re ita exigente varios labores molestiasque maximas perferre valet, varii generis nutrimentis quin & ferculis utitur, interdum tamen parco & parabili contenta est alimento; præterea etiam varias & diversas mutationes frigoris, caloris, aëris siccii & humidi, omnes absque singulari sanitatis dispendio tolerare potest. Quid? quod corpus torpeat, sanitas & valetudo vacillare videatur, quotiescumque tempestates nimis diu immutatae permaneant, vel nos nimis strenue his mutationibus subducere voluerimus. Hæc etiam *HIPPOCRATES de Diæta Lib. I. §. 14.* innuisse videtur, dicens: *Medicina, id quod molestat tollit, & id a quo homo egrotat auferens, sanum facit. Natura eadem sua sponte novit. Desidens conatur resurgere, currens conatur requiescere, & alia ejusmodi natura habet, quæ Medicinæ sunt.* Proptereaque syadet *CELSUS* iis, qui & bene valent & suæ spontis sunt, ne vivendi rationem suam, admodum arctis includant cancellis: *Hunc (scilicet sanum) oportet, inquit Lib. I. Cap. I. varium babere vitæ genus, modo ruri esse, modo in urbe, sæpiusque in agro, navigare, venari, quiescere interdum, sed frequentius se exercere. Prodest etiam interdum nullum cibi genus fugere quo populus utatur; interdum in convivio*

vio esse, interdum ab eo se retrahere, modo plus *justo*, modo non amplius assumere &c. Nihilo tamen minus quotidiana nos docet experientia, quod si sanitas ad Nestoreos, ut ajunt, annos duraverit, non tantum, qui imbecillioris sunt constitutionis, circa mutationes in his terris obvias, cautius se gerere debeant, pro ratione virium & sanitatis, ac prout cœli temperies & anni tempora postulant; verum etiam quod fieri non licet omnes vitæ cautelas flocci facere, quoniam in vita communi, særissime comperimus res varias præternaturales, robustissimos quoque ex nimia securitate, vel tempestatum vi ac insalubritate, vel casu infortunato obruere, atque citius vel serius ad causandos non minus morbos tristissimos, quam ipsam mortem, sine prædisponentium administratione, sufficere; quare etiam cecinit Ovidius:

*Omnia sunt hominum temui pendentia filo,
Et subito casu qui valuere ruunt.*

Regulæ itaque sequentes & his normæ instar aliqualis esse possunt, eo in primis ex capite, quod ex iis videant, quid posteritati suæ debeant. Præcipuum vero in his tradendis rationem habuimus valetudinariorum, Urbanorum, litteratorum medicinæque cupidorum, ut nimirum noscant, ad earum ductum, secundum monitum CELSI Lib. I. Cap. 2. cura restituere, quod vel loci, vel studii ratio detrabit.

REGULA Ima.

Diætetico convenit, per singula stadia ætatis, ab in-
cunabulis, usque ad senectutem, animadvertere, quid con-
fervan-

servandum, quid corrigendum quidque intatium relinquentum sit.

Quo Diæta sit utilis, ut ille nimirum, qui ad matutinam jam pervenerit ætatem, observatione regularum utilium, a natura generi humano præfixum obtingat terminum, fundamenta hujus jam a parentibus jacienda sunt. Ipsi namque debent esse sano corpore, vitamque degere inculpabilem, ne in progeniem eorum, infirmitates quædam propagentur. Insimul in id incumbere debent, ut infantes, a primo vitæ halitu, cibo nutriantur convenienti; nec quidquam intermittatur, quod ad eorum curam attinet; nec tempore educationis, malis exemplis, vel educatione ætati eorum minus convenienti, perditis moribus & consuetudinibus imbuantur, quarum plurimæ dein adeo in habitum deducuntur, ut maturiori jam ætate, nec a parentibus, neque a liberis ipsis, permutari possint, sed excusantur specioso illo nomine, *naturæ alterius*, dum tamen re ipsa constituunt *tertiam*, eamque maxime corruptam. Veritas est nunquam non deploranda, genus humanum, hisce inprimis exorbitantiis, insigniter omnino languescere. Quam ob rem etjam perpauci reapse sani amplius superflunt, sed plurimis conflictandum est cum adversa valetudine, quamdiu in hac miseriarum versantur valle. Alt sero sapiunt Phryges, & sero plagis emendantur. Morborum hæreditariorum nonne jam est insignis caterva? horum vero maximam partem liberi parentum perditæ & dissolutæ debent vitæ. Quantus est numerus eorum, qui in ipsa infantia & flore ætatis suæ debitum naturæ reddunt? & eorum, qui quidem in vivis sunt, ægritudine vero corporis per totam vitam laborant? Morbi Scrophulosi, Venerei, Atrophiæ, Rachitides, Elephantiasis, Plicæ Polonum & varia Carcinomata, una cum multis

multis aliis, his temporibus notis, hanc rem extra o-
mnem ponunt dubitationis aleam. Laxitates etiam cel-
lulosæ & fibrarum muscularium disproportionata irrita-
bilitas & contractilitas, jam vulgatissimæ sunt, una cum
pluribus inde pendentibus Febris, etiam exanthematicis,
ut & sensibilitas immodica Systematis nervosi, cum
nobiliorum ex eadem derivandis ærumnis e. g. Arthri-
tide, Hysteria, Hypochondria & Agrypnia cum Anxie-
tate Febris Miliaris; ut silentio præterea omnes fere
dolores, variosque morbos Intumescentes & Tabescen-
tes, ex obstructionibus viscerum oriundos. Nonne hi
morbi jam educationis tempore fundati sunt, & per e-
ducationis modum, crescenti ætati minime aptum, ci-
bo, potu, victu & amictu contracti? Quid itaque mi-
rum, non minus numerum morborum, quam medicorum
augeri, ita tamen, ut illi ab his curari nequeant,
ætateque proiectos, inter nobiliores, paulatim & sensim
fieri rarissimos. Ut itaque valetudo generis humani in
posterum aliquo modo stabiliatur, parentes oportet at-
tentos esse in officiis suis implendis, educatioque libero-
rum ætati eorum ita erit accommodanda, ut omnes cor-
poris partes, absque intervenientibus a vitio Diætae mor-
bis, ad debitam firmitatem ad crescere, immo ita insti-
tuenda, ne nimis laxa eorum cellulosa magis relaxetur,
nec fibrarum muscularium irritabilitas & contractilitas
annis pubertatis stimuletur & accendatur, nec admodum
sensibile Systema nervosum mollitie stimulisque incite-
tur & corrumpatur, habitumque in Spasmodicis moti-
bus sibi adquirat insuperabilem.

REGULA II:da.

*Semper & ubique observatio virium, quantum sci-
licet ferant, maximi tibi momenti sit.*

Infan-

Infantili ætate, quamvis appetitus tunc æctioribus
 limitibus circumscriptus sit, atque saluberrimo cibo con-
 tenti simus, tamen sensim nos allici patimur, ad eun-
 dem mutandum, & sic paulatim non solum sequimur
 parentum aut domesticorum Diætam, verum etjam
 mores & vitia. Dein annis juventutis instantibus, contu-
 macius nosmet gerere incipimus, cupidoque earum
 rerum nos incendit, quas alios patrare cernimus, una
 cum desiderio, omnia gradatim tentandi. Matura æta-
 te, nimia nostri ipsius confidentia dominium in nos e-
 xercet; jam prudentibus aliorum consiliis morem gere-
 re recusantes, eaque flocci facientes, sensim in eam in-
 cidimus mentem, machinam corporis nostri esse firmio-
 rem, quam ut a potentissimis nocentibus frangi possit. Qua-
 re etjam sapientissime extra officiorum cancellos egredi-
 mur, tantum ut nosmet ostentemus, viriumque firmi-
 tatem præ cæteris, etiam in voluptatibus exercendis, de-
 monstremus. Cum jam ætate proiectiores sumus, sero
 tamen deficientes corporis vires ejusque appropinquan-
 tes infirmitates, agnoscere volumus, verum nos perpe-
 tuo iisdem esse viribus arbitramur, ad perferendos eos-
 dem labores, quos alios sustinuisse constat, aut quos
 antea pluribus vicibus experiri nobis licuit; in primis in
 rebus sic dictis non naturalibus, quare etjam pauci fi-
 dem regulis medicorum diæticis habent, præsertim
 cum vim earundem immediate non cernant. Quod
 vero maxime dolendum, plurimi etjam grandiores na-
 tu, adversaque quum jam premuntur valetudine, nolunt
 consciæ esse harum ærumnarum, aut quasdam exaudire
 animadversiones; verum sanitati pristinæ suæ experien-
 tiæque nimis tribuunt. Eum itaque felicissimum præ-
 dicamus, cui bona sub manuductione, duobus primis æ-
 tatis stadiis præterlapsis, non licuit patrare res vites cor-
 poris excedentes, verum maturè adsyefactus est varia-
 tionis

tionibus, hominem decentibus; ita tamen, ne proiectiori
ætate cupidinibus & affectibus ad nimis indulgendum,
seducatur. Eumque simul magnos in Diæticis fecisse
progressus existimamus, qui a matura ætate eam virium
suarum habet curam, ne eas nimia licentia & dissolu-
tione frangat, nec iis nimium indulgendo se debilem at-
que effeminatum reddat, verum semper & ubique iis
ita consulere novit, ut senectuti etiam sufficiant.

REGULA III:ta.

*Rebus omnibus & singulis a teneris ad crescere, at-
que diversis occupationibus semper distineri, animum
exhilarat & corpus firmat.*

Quemadmodum animæ nostræ facultates, quo ex-
coluntur gradu, etiam perficiuntur, ita quoque corporis
nostræ vires, quo crebrius ab ipsa infantia variis nego-
tiis & occupationibus exercentur, eo etiam firmiores
& robustiores fiunt. Eo inquam melius circuitum san-
gvinis promovent, eo perfectius omnes se- & excretio-
nes peragunt. Quæcunque enim corporis pars præ cæ-
teris plus vel fortius exercetur, illa exinde firmior ma-
jorque evadit, ut exempla artificum abunde testantur,
immo & infantum, quorum pedes continuo eorum cur-
su exercitati, brachiis cæterisque eorum membris mul-
to robustiores fiunt. Et quid contulit ad Græcorum &
Romanorum per totum orbem celebratam fortitudinem
animique vigorem? certe, nostro quidem judicio, nihil a-
liud, nisi artes eorum sic dictæ gymnasticæ, quibus & mi-
ram animi alacritatem & duritiem corporis lacertorum
que summam sibi comparaverunt. Herodicus etiam, ar-
tis Gymnasticæ conditor, cuius valetudo infirmissima e-
rat,

rat, solo exercitio adeo firmavit eam, ut ad centesimum annum sanus permanerit. Homines vero inexercitati, testante *HIPPOCRATE* ab omni labore lasfantur. Labores itaque & exercitia corporis non fugiat Diæteticæ operam daturus, quin potius, quantum vires ejus tulerint, varii generis occupationibus se distineat. Nam præterquam, quod recte monuit *CELSUS* Lib. I. Cap. 3. "levet lassitudinem etjam laboris mutatio, eumque, quem "novum genus ejusdem laboris pressit, id quod in consuetudine est reficiet; quotidiana etjam experientia satis superque probat, varia & diversa negotia minus fatigare, quam diuturnam unius ejusdemque continuationem. Neutram idcirco vituperamus gentis plebejæ & ruralis varias, quibus occupantur, curas. Optamus vero insimul seculi nostri gustum eo sanitatis perduci posse, ut tenelli in primis urbanorum infantes, inde a primis eorum annis, crebrius ac proh dolor! nostris fit temporibus, diuersis laboribus occupentur & negotiis exerceantur, ut & certis temporibus, variis ludorum generibus recreentur. Hinc me hercule, & vegetiores fierent, & fortiores ad quavis aëris injurias, vitæque communis mutationes obvendas, nec minus in cogitando solidiores. Quid litteratis & litterarum cupidis utilius foret, quam ut noscerent suis studiis aliquando interponere jucunda quævis corporis exercitia, quibus a profundis meditationibus langevcentem animum recreare possent?

REGULA IV:ta.

Nosce te ipsum, quo sic in secunda valetudine adversæ præsidia tibi cognita reddas, ne ex ignorantia magis magisque indies in immedicabile malum illabaris.

Physice notum esse debet unicuique, quod firma corporis præcipue constituant ossa, vestita muscularis, animata sensuum instrumentis, & cute demum, quæ cuncta continet, circumdata; quod microcosmi necessarium calorem, molliiem levitatemque movendorum, cor efficiat, per quod humores in vasis propelluntur, & quod, ut illis sufficiant usibus, quibus destinati sunt, reficiantur, non solum respiratione, sed etiam magna chyli officina; quas itaque cognoscere, & simul scire oportet harum omnium partium functiones, quas Medici in vitales, naturales atque animales divisorunt, quarum vitales & naturales in primis in machinis vivis, naturam nostram primam corpoream, constituunt. Hæc mechanicorum principia, quemcumque ornantia, Diætетico præcipue commendamus, ut rite intelligat, quomodo singulas actiones & reactiones, juxta leges naturæ, in statu naturali vel sanitatis, perficiantur. Qui enim modo actiones circulationi dicatas ignorat, neque leges juxta quas firma singula, ad motum vitalem necessaria absolvunt, neque circulantium vias, eorumque quantitates & motus quoscumque intelligit, neque leges naturæ juxta quas respiratio, chylification, se- & excretiones peraguntur, noscit. Quis quæso harum rerum ignarus mente comprehendere potest, quomodo qualitas & quantitas ingestorum accommodetur indoli cuiusvis corporis, quomodo morborum & indispositionum origines a transgressione diætæ esse repetendas percipiet, & Diæta sua læsis & tono suo carentibus partibus opem feret, & adhuc quomodo partes, quæ hebescunt, vel obstruuntur, vel functionibus non respondent, emendabit, & quo fundamento motus male proportionatos corriget? Certe hoc non videmus. Est itaque veritas extra omnem positam dubitationis aleam, Diætam sine hujusmodi notitia omnino mancam, vappidam & mere empiricam evadere;

dere. Neque cuiquam de valetudine sua sollicito, insimul negligere licet, ad naturam suam alteram animatam, principium illud functionum nostrarum unicum ex mente Stahlianorum, facultates scilicet & mores, consuetudines atque idiosyncrasias &c, attentum esse, quandoquidem unumquemque oportet considerare partem rationalem corporis, non solum ut dominum in domicilio suo, verum etiam saepius, ut omnium functionum moderatorem. Non itaque solum doctores in diæteticis, verum etiam diætæ studiosum quemlibet oportet ad monitum *HIPPOTRATIS* in Libr. I:mo de Diætâ §. I. totius hominis naturam nosse ac dijudicare. *Nosse* quidem ex quibus ab initio constituta est, dijudicare vero, quæ in ipso partes dominium continent. Si enim constitutionem ab initio non cognoscet, & id quod in corpore dominatur, non poterit ea, quæ homini conducunt, offerre.

REGULA V:ta.

Attendendum est ulterius non solum ad ea, quæ in corpus agunt, verum etiam ad ea, quæ in corpore sunt;
Hæc conjuncta valent, separata vero parum.

Mementote Lectores adagium illud: *Lynces foris, Talpæ domi.* Non sufficit Diætetico, functiones corporis sibi notas habere, earumque leges & effectus cognoscere, sed si dignus suo nomine esse voluerit, status morbosos mechanismi dignoscere insimul oportet. Et quoniam hi status a cauſis & intra & extra corpus generari possunt, & illæ a medicis prædisponentes dictæ his occasionalibus pulvinat pertendunt, quis non videt hanc regulam inter alias diæteticas, magni certe esse momenti. Exploratio sola elementorum & naturalium,

extra corpus existentium, cum qualitatum & virium eorum cognitione, nisi simul ratio habetur causarum prædisponentium, nullius certe usus evadit. Qui enim ad dispositiones quascunque hæreditarias, nec non ad animi pathemata, & disproportiones solida inter & fluida, harumque varias idiosyncrasias atque dyscrasias & ad diathesin phlogisticam dispositiones, animum non attendit, quomodo quæso! cuncta ex his fontibus propullantia mala, apto tempore rebus sic dictis non naturalibus corriget? Me utique hoc fugit; statuerem potius, hanc ipsam negligentiam, quod scilicet non semper attendant ad causas morborum prædisponentes, rationem esse errorum, quos quotidie fere committunt rerum naturalium doctores sagacissimi. Hæ indispositiones sequuntur etjam vitia circa ingestæ, sed adeo occulite comparent, ut ad causarum suarum indagationem, summam & vere diurnam requirant experientiam, & sensim irreptæ atque prædisponentes factæ, reliquos occasionalium effectus, postmodum multo graviores reddant. Cum vero in his indagandis & scrutandis, non minor requiratur solertia, quam in multis aliis; ideo singuli, qui de valetudine sua conservanda solliciti esse velint, consilia Medicorum adoptent, usque dum propria experientia, causarum supra memoratarum sufficien-tem notitiam sibi paraverint.

REG. VI:ta.

Temperamentum sibi semper constans & temperatum sive uniforme felige atque conserva, ut jucunde non minus, quam diutissime vivas.

Quis est, qui vitam sibi non optet longam, quot autem

autem sunt, qui ad hunc finēm obtinēdum mediis utuntur convenientibus. Differentia, quæ in elasticitate irritabilitateque fibrarum pariter ac in differenti humorum crasi, una cum inde pendentibus animi pathematisbus, occasionem Physiologis dedit, ad certa quædam temperamenta statuenda. Quamvis hæc magna ex parte sint fundata in natura a parentibus congenita, nemo tamen in dubium vocabit, hæc ætate, morbis, conversationibus & dissimili vitæ ratione, magnam subire mutationem, varioque modo in se invicem transmutari. Qui itaque omnibus in vitæ suæ stadiis, ita moderatur solidorum vim & ita temperat humorum crases, ut quam diutissime conservet solida, in debita sua tenacitate & elasticitate, & humores in justa sua densitate & dulcedine, quemadmodum etiam onines se- & excretiones in convenienti illis proportione, is optime correxit temperamentum suum, in sic dictum temperatum & felix fruitur prærogativis, quas præ cæteris hoc secum fert omnibus. Huc etiam spectare videntur verba CELSI Libr. I. Cap. 3. dicentis: *Ante omnia novit quisque naturam sui corporis, quoniam alii graciles, alii obesi sunt, alii calidi, alii frigidiores, alii humidi, alii siccii, alios stricta, alios resoluta alvus exercet. Raro quisquam non aliquam partem corporis imbecillam habet. Tenuis vero homo implere se debet, plenus extenuare, calidus refrigerare, frigidus calefacere, madens siccare, siccus madescere; itemque alvum firmare is, cui fusa, solvere is, cui adstricta est, succurrendumque est parti maxime laboranti.* Si temperamentum temperatum unquam obtinendum erit, firmitatem & augmentum corporis, annis crescentibus promovere debemus, fibris justam elasticitatem comparando. In media autem ætate calor temperandus est, atque modica plethora conservanda, ita nimirum, ut humores debitam suam habeant crasis atque

que nulla acrimonia scateant. Senio vero adventante, rigiditatis fibrarum illa habenda est ratio, ut quam diutissime & quoad possumus maratum & Tabem evitemus. Temperamentum sic dictum sanguineum, ut in vita communi sumitur, revera propter sanguinis & humorum abundantiam, est Plethoricum, & sanitati inimicissimum, quia ipsam portam malorum STAHLI constituit, qua ventriculus tumet, mens langore afficitur, & corpus suis deficit muniberis, siveque in florentissima ætate, successisse naturale illud inter fluida destruitur æquilibrium.

REG. VII:ma.

Cave ne in secunda valetudine adversæ præsidia consumas.

Hanc admonitionem CELSI, paucissimi hominum melioris fortis sequuntur, quæ tamen eis eo est utilior, quo plura fortunæ bona, præ plebejis possideant: & in quantum corpori suo nocent, in tantum etiam eo ipso poenas luunt. Hi majorem corporis formam, firmitatem atque vigorem desiderant, quam natura illis concedere potuit. Hinc cibis polychylis & fortiori potus genere in id allaborant, ut hujus sui voti compotes fiant. Qui vero nimias curas huic fini obtinendo intendunt, plerumque falluntur opinione sua, & insimul perniciossimam sibi contrahunt plethoram, quæ corpus eorum variis gravat modis, tono & elasticitate plurium partium, præsidio illo sanitatis optimo, jam antea deperdita. Scœpissime imbecilles sunt stomacho, qui initio laborat. Anorexia, gravativa, sive Dyspepsia Vogelii,

lit, quemadmodum & Anorexia nauseosa, sive Anorexia plethorica Sauvagesii s. Anatrophe Vogelii, quarum culpam seniori & frigidiori tribuunt ventriculo. Hujus ergo & gulam & ventriculum suum, eo diligentius acibus & cæfacentibus stimulant aromatibus. Postquam vero plethora eorum hoc modo, in optimâ eorum aetate, mutatur in Cachexiam, obnoxii insimul sunt Anorexiæ pituitosæ Sauvagesii s. Apepsiaæ Vogelii, quæ etiam interdum transit in Apositiam veterum s. Cacostiam v. Linnei, vel e contrario abit in Cynorexiæ Vogelii s. Bulimiam caninam Sauvagesii. Inde evenit, ut corpus vel ad varia profluvia atque evacuaciones præternaturales stimuletur, vel successive viscidis ut & corruptis humoribus gravetur, & plurimi se- & excretiones retardentur, quo ipso fundamenta variæ generis obstructionum atque ægritudinum e. g. Dolorum cuiusvis, Anhelationum, Soporum, molimum hæmorrhoidalium &c, ponuntur, quarum plebs propter parcum & parabilem victimum omnino est ignara. Et ut hæcce mala, quoad maximam partem derivantur ab Hæmorrhoidibus suppressis & interceptis, ita etiam plurimi omnem operam in his provocandis pillulis aloëticis e. g. Emanuelis, Hallensium contra obstructions &c, collificant, quarum insimul continuo usu varios æque graves morbos excitant. Haud pauci quoque sunt, qui ex nimium ingestis somnolenti & langvidi facti, eo uberiori somno, etiam pomeridiano, langvescens corpus erigere atque vivacius reddere, sed frustra conantur; Qui vero, prout decet, præsidiis adversæ valetudinis uti vult, illum folliculum esse oportet, ne unquam plethora gravetur, sed ut functiones naturales semper & ubique rite peragantur. Quamdiu enim ingesta & egesta debitam inter se habent proportionem, tamdiu corpus nostrum viget,

tamdiu valetudine fruimur optima, & illum peritissimum in prophylaxi salutamus, qui justam inter haec mensuram, semper observare noscit & valet. Illud etiam his curæ cordique erit, ut dentes suos, ad seram usque senectutem, incorruptos conservent, quibus cibum juste mandere, extenuare & allecta saliva mollire possunt, qui deinde deglutitus in stomacho optimo assimilatur chylo. Salivam inter excreta neutiquam annumerent, quin potius illam omnibus Elexiriis visceribus præferant. Insimul exactam habeant rationem ingestorum & corporis laborum, semper memoria retinentes, verba summi scientiae nostræ Coryphæi *HIPPOTOCRATIS*, in Libr. III: *Si superantur alimenta, id est, si corporis viribus subiguntur, corporis vigorem faciunt, ubi superant, id est, ubi vires digestivas vincunt, varia vicia adferunt.* Hujus ergo selectus ingestorum summe necessarius est, pro ratione constitutionis corporis, ad normam a SANCTORIO diurna experientia confirmatam, ne nimirum imbecilli operariorum vescantur cibis, e. g. pingvibus, vilcidis, flatibus turgidis, natura & arte duratis &c. Sed proh dolor! paucissimi sunt, qui his curis tanguntur. Nolunt gulæ temperare & eosdem cibos edere ac rustici audent. Carnes in primis a stomacho imbecillis, fructibus horeis aliisque vegetabilibus parum adstringentibus, miscendæ atque corrigendæ sunt. Carnes quidem robur & calorem corpori conciliant, ut *Athleticus* victus ostendit; nihil tamen minus sanitatem sedentiariorum infirmant & subitaneas mortes inferunt. Ex continuo earum usu enim plethorici fiunt. Etiam Digniss. TISSOT ex Theophrasto dixit in oratione sua p. m. 56. *Multum edere & carnis vesci, rationis & consilii usum adimit, animosque efficit tardiores, & eos immanni quadam dementia ac stultitia complet.* Vis saponacea lactucæ, sine dubio etiam in ratione fuit, cur Antonius Musa,

Musa, Imperatori Augusto diætam præscripserit vegetabilem. Hujus enim, ut & aliorum vegetabilium naturam saponaceam & aperitivam, extra omnem dubitationem posuit D. Doct. LOBB, in tractatu suo, de calculum dis solventibus.

REG. VIII:va.

Principiis obſta & auxilia ad valetudinem conſervandam neceſſaria tibi felige, qualia vel corporis, vel loci, vel ſtudii ratio requirant, ne natura jam nimis fraſta, ſero medicina paretur.

Multa ſub fundatione domus cujusdam corrigi poſſunt, quibus deinde ſuccurrere, fruſtra conamur, & ſi defectus ejus tempeſtive, & uti par eſt reficiuntur, du‐
plo longius temporis ſpatium perdurat illo, cujus omnis
cura negligitur. Haud diſſimili ratione res ſe habet
cum ſtructura corporis noſtri, praefertim cum homini‐
bus infirmioris naturæ, qui & in loco inſalubri versari
& vitam degere ſedentariam coguntur. Qui quotidie
fere plures libras cibi inconvenientis, & interdum con‐
gios potuum incaleſcentium conſumunt, quomodo va‐
letudinem firmam ſibi exſpectaverint, aut sanitatem i‐
terum reparatam cum uno altero ve cochleari medica‐
mentorum, noſtris imprimis temporibus, dum nomine
condimentorum dimidia fere pars rerum ſtimulantium
& calefacientium materiæ medicæ in culinas tranſlata eſt.
Quid itaque mirum, etjam robustiſſimos homines, fe‐
bribus ſaþe laborare, ſangvinem nimium & præmature
acrimoniis repleri, & Arthritides una cum aliis morbis,
inter nos hæreditate quaſi incorporari, postquam Indo‐
rum condimenta, eorundemque cum aliarum plurium
natio‐

nationum liquores spirituosi, incolis vero regionum Septentrionalium admodum noxii & inconvenientes, communi usu sint recepti, & nostrum vitæ genus de cætero, qua maximam partem ab exteris sit mutuo sumptum? Nos, qui quidem salubre, verum tamen frigidum incolimus clima, in id incubere debemus, ut posteritas nostra operam dando labori, ciboque utens convenienti, moribusque iterum stabilitis & correctis, eandem ossium & musculorum nanciscatur firmitatem, idemque sanguinis eorum, ac atavorum corda perfluat. Nos ergo ipsi bonis exemplis statuendis, propriæ, pariter ac eorum, qui in diæteticis ignari sunt, septentrionalium regionum accolis digna vitæ ratione, consulamus saluti. Si artifices quidam & operarii excipiuntur, maxima pars urbanorum, minori motu exercentur & impuriori vescuntur aura illis, qui vitam degunt rusticam. Hinc etiam laxiores sunt, & variis viscerum obstructionibus obnoxii, præcipue, si simul camenæ fuerint cultores. Hi sanguinem valde habent tenuem & dilutum, diverso licet gradu, pro ratione constitutionis & vitæ generis. Quemadmodum enim motus est mollis, & aër in quo versantur putridis exhalationibus repletus suaque ad maximam partem orbatus elasticitate; ita etiam fibræ eorum fiunt laxiores, & in eadem proportione, qua solidorum motus, eadem etiam sanguinis densitas minuitur. Hinc debent parciores esse in potu suo, atque omnem potationem liquorum fervidorum e. g. vulgissimam Theæ, angve pejus & cane fugere, aliud licet doceat Bontekoë, cum multis aliis Germanorum Doctoribus. Verissime enim dixit meritissimus TISSOT in sermone suo inaugurali pag. 56. *transt sanguis in debilibus, stagnat, obstruit, non vero ob propriam densitatem, sed ob invalidam vasorum contractionem, quam auget nimius tepidus que potus.* Similiter, nec potus Coffæ, nec vina in quoti-

quotidiano, sed medicinæ instar, rarissimo in usu esse debent. Idem valet de Saccharo, cuius usum arctioribus limitibus claudendum esse, in primis infantibus & crescentibus, contendimus. Effectum enim exserit relaxando, quum, ut nostris sit temporibus, quotidie usurpatur. Præ ceteris omnibus sexus sequior hoc observare deberet, særissime enim contra regulam hanc prophylacticam hoc in momento peccat, & eo ipso semet obnoxium reddit variis morbis nervosis, qui immedicabiles fiunt, nisi inveterata & pessima confuetudinem in crescenti quam media ætate corrigatur. Nuper nominatus *TISSOTUS* in sermone citato dixit, se plures curasle morbos nervorum, potus quantitatem recessendo, potus tepidos exulando, vinum seponendo, motum augendo, quam ullis aliis remediis. Et quoniam sacerdotes & medici, febribus malignis & putridis grassantibus, præ omnibus aliis, illis exponuntur; hinc præ ceteris gulam temperare debent & iusimul variis uti præservativis, immo cum litterarum cupidis & sedentariis in genere majorem adhibere cautionem, in quantitate cibi ingerenda, ne miasmata quædam, obstrunctiones viscerum & inde ortæ acrimoniae, molestias illis creent. Qui autem varias habent dispositiones hereditarias, v. g. infirmitate pectoris catarrhisque laborant, illis, præter dicta, in primis curæ cordique partes infirmiores esse debent & morbis singulis accommodata applicare remedia, immo fonticulis revulsionem sustentare.

REG. IX:na.

*Illud denique omnes semper in memoria retineant,
quod voluptates quascunque commendet rarer usus.*

Inter alia, quæ sanitatem optime conservant, temperantia certe atque abstinentia magni faciendæ sunt, utpote quæ causas morborum radicibus vellunt & in ovo jugulant, dum voluptuosa e contrario indulgentia vires omnes mentis & corporis frangit, naturamque in malam consuetudinem, maxime corruptam, vertit. Ex antecedentibus regulis abunde patet, quod nihil a deo conferat ad conservandum fluida inter & solida justum æquilibrium, hincque sedentarios a variis noxiis collectionibus in Hypogastrio & a sic dictis moliminiibus hemorrhoidalibus, cum plurimis exinde pendentibus obstructionibus viscerum præcaveat, illosque a variis acrimoniis, febrium variarumque evacuationum inordinatarum caussis vulgatissimis præservet, ac alma temperantia. Raro autem sola persistere potest; præbeat itaque ipsi semper dilecta soror abstinentia, auxiliatrices manus, ne cupiditates nostræ, nimium relaxatis eorum frenis, & pravi socii vim naturæ inferant, nosque a vero virtutis tramite eosque abducant, quo demum in maximum sanitatis nostræ damnum, vitiis & voluptatibus delectamur, iisque nos quotidie polluimus. A vita lasciva & ebria in primis nos abstinere debemus, ad quam consortia prava nos facilime seducere possunt. Infirmitati etenim humanæ adhæret, ut consuetudinem, qua ardet, minime corrigere queat, illi potius favet, unde proh dolor! vere dicitur, consuetudinem esse alteram naturam. Ab incunabulis itaque inviolata servanda est abstinentia. Recte enim in scholis diæteticorum audit: abstine & efficies quod medicina nequit. Quod ad vitam attinet libidinosam, vere de illa dixit CELSUS: *Venus semper iniuncta est imbecillis, & frequens sanos solvit.* Si vero sanitati nostræ utilissimæ abstinentiae, uti decet, operam dare voluerimus, primum ab ejus tramite devium magnopere timeamus, & ut illud facilius

lius evitare possimus, temperantiæ insimul litemus. Hinc voluptates cibales refrenare debemus, atque cum vinis meracioribus, tñm cibis aromatisatis, & quæ ad mensam pertinent secundam, rarissime uti. Recte enim dixit *MEAD*, lautitiis onustum hominem, corpus animamque suam pergravare & ad libidines incendere. Unde dein concludit: nisi opes comitetur prudentia, vivitur exiguo melius. Prava consortia hominum otiosorum, etiam quoad possumus, fugere debemus, corruptum enim optimos mores colloquia & exempla prava. Præterea etiam nec in lecto molli, nec in dorso cubemus, ambæ enim hæ præcautiones sunt summe necessariae unicuique, qui instinctus libidinosos & vitam lascivam serio evitare voluerit. De cætero, ut paucis multa complectamur, pone semper gulæ & veneri metas, & erit Tibi longior ætas.

REG. X:ma.

Noctibus conquiescere optimum est.

De climatis nostri duritie & aëris impuritate conquerimur, nunquam vero æquo animo attendere volumus ad stultitiam nostram, qua seducti illud ad insanias nostras cupiditates aptatum desideramus, quotidie aslumentes exoticos mores, illi minime convenientes. Inter alios certe non minimi est momenti, quoad summe noxios ejus effectus in sanitatem & mores nostros, socordissima mutatio diei in noctem & noctis in diem. Consideraturi ordinem naturæ & instinctum plurimorum animalium, immo infantum & debiliorum inclinations, videbimus certe omnes eo tendere, ut mature possint, die elapso, dare se somno & quieti, o-

mesque experientia sua probare, somnum ante medium noctem captum esse optime reficientem & recreantem. Nihilo tamen minus, urbani & quidam nobiliorum ruri habitantium, mores recipere Procerum volunt, illud temporis somno capiendo impendentes, quo lux diurna & radii solares refocillantes, aërem non solum depurant a variis halitibus noctu congestis, verum etiam omne vivum recreant, revivificant. E contrario e noctibus sibi dies, id est, vigilandi tempora formant, quibus aër est maxime frigidus, & exhalationum humidarum noxiarumque plenissimus, quas nidore candelarum adhuc nimium quantum augeri coguntur. Quis nostrum est, qui non videat, hoc etiam in momento latere causam, cur vitæ nostræ terminus sit brevior, quam priscis fuit temporibus, cur præ atavis nostris pluribus gravemur morbis, & adhuc, cur sensibilitas itematis nervosi omnes transgrediatur metas, plurimisque in domibus omnem perturbet ordinem. Qui itaque ex more vulgari diu lucubrat & dein diu in posterum diem dormit, de illo optimo cum jure pronunciat Digniss. *MACKENZIE*, quod naturam commutet, & quod neutquam queri debeat, si per totam vitam suam, sibi etiam de more cum morbis & ægritudinibus erit conflictandum; namque diurna quies vitiis alimenta subministrat teste Boxbergero. Si Africanorum habemus clima, evitandi certe nobis forent æstuantes & urentes radii solares; in nostro vero hocce solliciti esse debemus, spiritu ut ducamus aërem, quem sol suis radiis purificat, & nunquam nos exponere frigori nocturno ejusque vaporibus, omnium vero minime oculos & ipsum cerebrum gravanti candelarum nidori. Quidam tamen sunt, qui dicunt se horis nocturnis ad quævis studia litterarum aptiores, sed crede nobis, præ consuetudini hanc fictam debent aptitudinem, cuius certe

certe, senio adventante, insomniis diurnis & nocturnis poenas luent. Corpus nostrum infirmari ex ejuscedomi mutatione noctis in diem, experientia satis abundeque probat, & hominis sani meditationes, in primis matutino tempore, profundiores, solidiores & distinctiores esse, ægre inficias iturum crederem neminem. Nec minus noxius Urbanis & sedentariis est somnus pomeridianus. Qui cum operariis ruri solida & a laboribus rigida habent membra sanguinemque phlogisticum, & æstate ab ortu usque solis, labores continuos sustinent, illos somnus pomeridianus reficit, illisque necessarius est. Sedentariis e contrario, qui jam magnam partem temporis matutini somno consumserunt & parco illoque mollissimo motu exercentur, hincque fibras laxas habent, nimiisque humoribus & illis nimium quantum solutis, vappidis & lardosis gravantur, illis etiam, qui post nimias epulas & a calefacientibus rebus somnolenti fiunt, illis omnibus inquam somnus pomeridianus summe est noxius & plerumque prodromus fit Apoplexiæ & Paralyseos. Illi semper in memoria teneant hanc optimis principiis innixam doctrinam Salernitanorum: *Sit brevis, aut nullus tibi somnus meridianus, febres, pigrities, Capitis dolor atque Catarrbus bæc tibi proveniunt ex somno meridiano.* Qui vero nimis matutine surgunt, illis svademuſ, ut ad consilium CELSI Cap. cit. meridentur ante cibum.

REG. XI:ma.

Aërem purum & temperatum die nocteque quantum poteris, tibi reserua.

Unus est e principibus valendi aut ægrotandi fontibus

bus aër, cui innatamus, quo vivimus, & quo non solum afficitur corpus in- & externe, sed cuius vim experiuntur ipsi animi. Aër purus & temperatus mirum quantum cutem & fibras nostras roborat, digestionem atque concoctionem cibi adjuvat, circulationem sanguinis per pulmones promovet, suoque aethere subtilissimo spiritus animales in nervis auget, imprimis cum mixtus fuerit effluviis vegetabilium spirantium & fragrantium. Impurus & putridis exhalationibus corruptus aër e contrario, si non extemplo suffocet, ut non nunquam fieri tristissima nos condonet experientia, saepissime tamen caussam præbet morbis funestissimis. In castris & navibus exhalationes putridæ semper majorem cladem inferunt exercitibus & nautis, quam in ipsa acie, arma hostium. Impuritas in caussa est mortalitatis immensa urbium, imprimis majorum. Febres exanthematicæ ut & remittentes atque continuæ, dysentericæ, Scorbuti, ulcera cacoethica & innumera ejusdem generis incommoda, ex communi observatorum consensu, aëri impuro ortus suos debent. Et si ullis aliis, certe urbanis & sedentariis opus est, maximam operam navare, ut reficienes spiritus & domi & foris sibi acquirant. Quid vero testatur quotidiana experientia? summam fane & circa hanc panaceam socordissimam negligentiam. Unus foetore, ex sudore & nimia salivatione proveniente, suum inquinat cubile, alter huic adhuc immiscet nescio quosnam vapores stagnantes, ex fungis, cimicibus, & variis supellectilibus, vaporibus ejusmodi stagnatis & infectis & repletis, tertius semet ipsum & conclave suum ensissimo spurcissimoque obnubilat fumo nicotianæ, quartus nidore, exitiosa sibi producit mala. Verbo, omnes fere in eo concurrere videntur, ut quoquo modo possint, aërem exhalationibus nocivis, putridis contaminent, conspurcent. Nec felicem prædi-

prædicamus fortē tam docentium, quam discentium in scholis nostris; ex multitudine enim collectorum in illis hominum, contaminatum aërem, per plurim hora- rum spatiū baurire coguntur, & eo ipso fundamenta ponunt variarum indispositionum & mōrborum, quibus deinde nec ars nec natura mederi potest. Unde etjam sunt e litterarum cultoribus, quorum valetudo ab ani- nis, quibus scholas & Gymnasia frequentaverunt, lædi- tur. Inter pessimos mores etjam annumeramus consve- tudinem, funera in templis sepeliendi, & serio opta- mus, ut tandem saniores hunc, cum cæteris adhuc re- manentibus papicolarum reliquiis, rejiciamus. Gratu- lentur itaque sibi omnes, quibus fors in aëre salu- berrimo vivere concessit, illumque sanctissime sibi ser- vent. Qui enim negligit omnem curam de munditie aëris, æque parum in prophylaxi efficit, ac medicus pe- nes clinicos, nisi quotidie aér ægrotantis purgetur. O- lēum & ope am certissime perdunt utriusque, nisi semper memoria retinuerint, optimam valetudinem & vitam longiorem aère niti fundamento. Et quoniam Tabacum plurimos graveolentis opii effectus exercet, non minus in ventriculo & pulmonibus, quam Cetebro, aë- remque præterea graviter inficit, elasticitatemque ipsius destruit, ea propter majori jure cum meritissimo TIS- SOT, in sermone jam citato, rogamus singulos, impri- mis vero litteratos, velint & foetidam & sanitati studiis que nocivam voluptatem, suffimen scil tabaci, fugere, iis- que relinquere, quibus pharmacum opus est, & quibus hoc Narcoticum & stupefaciens, pro perdendo tempore arrideat quosque delectet. Securiori enim modo possimus, immo debemus singula aurora cameram lustrare, atque arabico odore, svaveolentibus & Cephalicis si placet, vel summitatibus abietis sive juniperi in pavimentis, quæ ex- hilarant aërem, renovare, ne in hesternis vivamus lordibus.

RE-

REG. XII:ma.

Esculenta indigena quo simpliciora, eo tutiora quoque sanitati sunt.

Omni in re summus rerum Arbiter sapientius egit, quam ut miram ejus providentiam rite nostrum in usum convertere valeamus. Hoc inter alias res varias, esculenta, in quacunque regione vixerimus, largissima manu data, satis superque comprobant. Varia in globo hoc terraquo dantur climata, & sicuti hæc variant, ita etjam varias plantas unicuique indigenas & cicures producunt, similiter quoque ad aliquam partem propria animalia, quæ a sui climatis herbis optime nutriuntur & vigent. Ut homo in variantibus his cœli plagis subsistat & bene valeat, illi incumbit primariam atque præcipuam sibi escam parare ex herbis & animalibus cicubibus & mansuetis, quæ eadem, quam ipse inhabitat, tellus alit. Nisi præcani fieri & vindictas climatis contemti luere voluerimus, parcior certe nobis erit usus vegetabilium caldarii exoticorum & peregrinorum, quæ non sine maxima cura in nostra regione excoli possunt. Quemadmodum clima hocce, cæteris frigidius, solidiora requirit corpora, quæ illud incolant, omnem operam navare debemus nostræ indurationi & subsistentiæ, duriori labore cibisque climati convenientibus. Ex luxuria illa exotica laxante & calefaciente nobis idem evenit ac plantis & arboribus, quæ in multum opimata & tenera] terra aluntur; præmature enim protrudimur, & simul laxiora corpora nostra redduntur, hinc infirmi & debiles cito prius cadimus. Etenim in juventute catarrhis & variis aliis morbis gravamur, penitus infirmamur, & plerumque dein optima ætate exhausti morte corri-

corripimur. Nonne hæc ratio est cur Numen concesserit nobis una cum *Salmonibus* magnam quantitatem *Clupeæ* harengi, *Esocis* lucii, *Percæ* fluviatilis & luciperæ, ut plura taceamus, & ferina solidioris consistentiæ, in *Tetraonibus* Utrogallo, Lagopode, Bonasia & Tetricæ, præ calidiorum regionum incolis. In nostra regione optime etiam vigent cerealia solidioris substantiæ, cum variis radicibus & fructibus adstringentibus, quibus osfa & fibræ cum tendinibus, fiunt firmiora & duro climati quam maxime convenientia. Esculenta nostra indigena ulterius consideraturi, tantam eorum invenimus copiam, tam operariis ruri, quam imbecillioribus in urbibus, ut idcirco ne minimam quidem habeamus ansam conquerendi, de inopia rei cibariae in nostro climate. Et quemadmodum stomachus noster melius a paucioribus, modo sufficiant fami expellendæ, quam pluribus ferculis valet, utilissimum utique foret, si etiam in horum numero minori sanitati consuleretur, & mensæ nostræ raro ad nodum dapibus supra quatuor extulerentur, ut scilicet primam maris, alteram agri, tertiam silvæ vel caulæ, & denique quartam horti provenitus constituant; quæ omnes insimul nec mixtae, nec perditæ essent calefacientibus exterorum aromatibus. Sed præter copiam epularum simplicium, quam habemus, ars coquinaria has non solum compositas reddit, variis condimentis a myropoliis mutuo sumtis, verum etiam detexit innumeræ decompositiones, quarum plurimæ monstra sane sunt ingenii humani, & aptiores ad vires robustissimas frangendas, quam ad fractas valetudiniorum reficiendas, vel sexui sequiori, liberis & senectibus ad constituendum salubre cibi genus. Hinc merito dicere possumus, plures periisse cibis climati nostro inconvenientibus, quam bellis crudelissimis. Et licet regionum incolæ aquilonarium semper fuerint pro-

lis foecundissimæ, nihilo tamen minus videtur numerus mortuorum annis increcentibus hic loci major esse, quam deberet, imprimis in Urbibus, ubi a primo vitæ fere halitu, exoticis calefacentibus & genti arctoæ noxiis cibis nutriuntur. Omnia quæ in arte culinaria adhibentur condimenta, excepto sale, aceto, cum butyro infrixiato & pauxillo Sacchari vel mellis, inter superflua & noxia certe adnumeranda sunt. Stomachalia & carminativa, quibus neutiquam carere se posse credunt Hystericæ, ad Pharmaca pertinent, quorum nimius & quotidianus usus semper est periculi plenissimus. Cfr. Reg XVI. Veritas enim illa inconcussa manet, esculenta indigena & simpliciora tutiora esse sanitati, maxime vero nationum polarium.

REG. XIII:tia.

Neque minori jure Cerevisia Hordacea & Avenacea, ad potum quotidianum præferenda est nostro in climate, cæteris aliis potuum generibus.

Licet felici fidere cerevisia Hordacea, uti climati nostro maxime conveniens potus, ad normam hujus regulæ, in communem & quotidianum recepta sit usum, at tamen cum omnes de præstantia ejus præ cæteris potuum generibus non conveniant, paucissimis examinabimus laudata eorum potulenta, ut & ipsi videant quodnam alteri præstet. Aqua pura & limpida simplicissimum quidem constituit potum, ut & utilissimum, diluens & aperiens; sed quia simul & refrigerat & relaxat, & clima nostrum frigidum plurimis anni temporibus, eapropter non admittit ejus potionem. Ideo cum D. Smith neutiquam possumus usum ejus nostratisbus unice sine addi-

additione malthæ commendare. Si vero hujus potatio alicui in tantum arriserit, illi potius svademuſ, ſuæ aquæ aliquantulum lactis vel vini addere, quo humoribus nostris fiat miscibilis, ſitim melius exſtingvat, atque ſimul ſtomachum imbecillem & ſensibile ſyſtema nervoſum tutius reficiat. Quod iterum vinum & mixtiones vini varias attinet, quas tantis encomiis extollunt plurimi, ſola propria experientia nixi, nihil ex laude ejus detrahere volumus; ſed condonent nobis hujus fautores, ſi in illo, quemadmodum cæteris exoticorum potibus fermentato- ſpirituosis, quid nocivi nobis inefſe ſuſpicemur, imprimis ſi in uſum veneſit quotidiani- num. Fermentata enim vinosa, fere ut ſpirituosa, motum nervorum exſtimulant, viſcoſitatemque humorum augent. Et licet acida vina minus calefiant, nec non alcalescentem acrimoniam mitigent, tamen de continuo eorum uſu recte dixit *HIPPOCRATES*, quod extenuent & morbos faciant. Neque potum ex ſuccis fru- etuum acidorum paratum, quem *Cider* appellant exte- ri, approbamus imbecillis, quorum humores aquosos & fibras nimis laxas efficit; & quemadmodum cere- viſia D:ni Groth, quæ ex hordeo absque prægressa ejus præparatione in bynem conficitur, fortassis murmura & borborygmos ſtomachi excitat; huic etiam præferimus noſtram bene coctam cereviſiam ſecundariam de maltha, quam diuturna experientia probat, optime roboran- do ſuſtentare ſeptentrionalibus gentibus motum & de- bitum calorem. Æſtate & cœlo æſtuante ditionibus o- ptimum potus genus conſtituunt Cereviſiæ Avenæ, nec non ſucci baccarum, addito pauxillo ſpiritus vini & fac- chari, ut & melicratum Polonum, Svetice *Mjödb* di- ctum. Vilioris vero fortunæ hominibus in eundem u- ſum inſervit Cereviſia Abietina & Juniperina, vel etiam ad modum *Aſſabet* Rusforum, mixta ex Cereviſia cum

portione Spiritus vini & Syrupi, vel mellis, imprimis vero Lac ebutyratum, quod nomine Sveco kárñ mjólk appellant. Quod ad spiritum vini attinet, Fabris ferrariis & ærariis laboriosisque operariis, & omnibus qui duris premuntur laboribus, hincque nimio sudore colliquativo, tempore imprimis æstivo, perfunduntur, lubenter pauxillum hujus concedimus usum, cum plerosque humores, nominatim vero sangvinem, inspisset, nervos stimulet & fibras apprime firmet; Cfr. Illustr. v. Halleri Elem. Phys. T. II. p. 83. 129. 362. & 364. sedentariisvero, quorum stagnantes humores multo segniores reddit, ejus usum quotidianum improbamus; etenim digestio eorum inde labefactatur & ipsi ad catarrhos & obstrukciones viscerum atque mala hypocondriacorum facililime disponuntur. Cfr. D. D. ZIMMERMAN von der erfahrung T. II. p. 315. &c. Macilentis & Cholericis tutius permitti potest, quam obesis & acescientia humorum laborantibus. De potu Theæ & Coffæa. Cfr. Reg. VII.

REG. XIV:ta.

Motum corporis æque diligenter ac cibum potumque expete.

Infensissimos inter valetudinis nostræ hostes, ab antiquissimis retro temporibus medici annumerarunt mensam opimis dapibus onustam, & nimiam corporis inertiam. Vasa enim corporis mirum quantum laxant, humores augent, nec non corpus nostrum ad corruptiæ Scorbuticam, & alios curatu difficultimos disponunt morbos. Motus & labor modicus e contrario victum nobis reddit salubrem, cibique appetentiam & concoctionem juvat. Hinc recte statuimus motum corporis saluti æque esse necessarium, ac ipsum esum, modo tempora-

perate & sub divo ad udorem, non vero sudorem, instituantur. Ignavia enim, ut monuit CELSUS, corpus beatet, labor firmat, illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit. Totum rerum creatarum sistema motu nititur: Sapientissimus rerum Opifex ideo quatuor generis admirandos microcosmo motus instituit, nimirum cordis & arteriarum diastolen & systolen, folliculorum pulmonalium in- & exspirationem, intestinorum abdominis motum sy- & peristalticum, immo motum agonisticum & antagonisticum musculorum. Horum licet tres primi sub voluntatis nostrae imperio non sint, nihil tamen minus illos vario modo turbare, illisque varios obices ponere possumus, quos nisi cura removemus, salus utique periclitatur. Unicuique ergo allaborandum est, ne nimia sanguinis quantitate vel corrupta qualitate, ejus circulationem ultra modum augeat, vel minuat. Pulmonibus justa dilatatio in aere puro & salubri semper concilianda, intestinorumque motus peristalticus convenienti promovendus est cibo. Si vero his cautelis observatis, motus hi adhuc non rite peragerentur, debita corporis agitatione sublevandi sunt. Motus moderatior in liberiori aura, fibras corporis roboret, in primis artuum, spiritusque nervorum reparat, & motum peristalticum auget, pulmones recreat & circulationem per hos liberiorem reddit, transpirationemque horum & totius corporis instaurat, simulque stagnantes humores excutit. Hinc ipsius usus est maximus iisque commendabilis, quorum fibrae inertes reperiuntur. Si ergo propriæ vires huic non sufficerent, vectione in curru, lectica & equitatione &c. illum nobis comparare debemus. Ex his omnibus equitationem tamen præstansissimam esse existimamus; concussione enim fibras roboret, congesta excutit atque excernenda expungit. Hæc omnia suo etiam effato confirmat Celeb. MEAD. (Vid.

Monit. ejus pag. 171.) dicens: *Ex omnibus exercitationis generibus utilissima est equitatio; aut si imbecillitas id non sinit, vectio in curru, vel saltim in lectica: Deinde pila, cursus, ambulatio &c.* Verum id incommodi fert senectus, ut corpori exercendo vires vix sufficiant, cum tamen sanitas id maxime requirit: *Fricationes igitur in hac etate suis manibus, si id fieri potest, sin minus, operi servorum, necessariæ sunt, quæ verriculis ex setis confectis peragantur.* In genere vero de motu observanda sunt verba CELSI: *Exercitatio corporis semper antecedere debet cibum, in eo qui minus laboravit & bene concoxit, amplior, in eo qui fatigatus est & minus concoxit, remissior.*

REG. XV:ta.

Subita ab uno extremo ad alterum mutatio, periculosa est.

Naturam summius noster à LINNÉ descripturus, optime dixit, illam saltus non facere, sed lente agere. Et quid verius dici potest, si consideramus illam per tria celebrata ejus regna? quid vulgarius videbimus, quam quod commodissimum suis in operationibus sequatur, subitam vero mutationem omnem, ut sibi noxiā, nimium quantum timeat. Quod vero sagacissimus hic naturæ mysta, de tota quanta œconomia naturæ dixit, ab antiquissimis retro temporibus, de œconomia microcosmi pronunciarunt ejus observatores solertissimi. Expresse enim dixit CELSUS ut etiam MEAD ex neotericis pag. 170. neque ex multa fame nimia satietas, neque ex nimia satietate fames idonea est; item neque ex nimio labore subitum otium, neque ex otio nimio, subitus labor sine noxa est. Ergo cum quis mutare aliquid volet,

volet, paullatum debebit adfvescere. Ex hisce vero omnibus periculosissimus est, ex nimio calore in nimium frigus transitus. Hic enim primariam constituit causam Endemicam Amphimerinarum & Tritæophiarum autumnalium, quæ diutius in autumnum protractæ in pertinacissimas mutantur quartanas, quarum scenam Hydrops cum ipſa morte ſæpius finiunt. Summopere itaque vituperamus Fennorum nostrorum morem, e calido balneo in frigidam aquam vel nives proſiliendi; immo etjam glacies artificiales, quas nominibus a lingua Gallica mutuatis, *des glaces, des boissons glacées*, in mensas secundas adhibere ſeverunt nobiliores. Omnium vero maxime cerevisiam, in cellis glacialibus conservatam & eappter peculiari nomine Sveco *Iskällar dricka*, donatam, quam æſtivis sub caloribus tam libenter hauriunt ditiores, quemadmodum etjam omnem, cujuscunque demum fit generis, potum frigidum, corpore adhuc æſtante, improbamus. Si enim harum deliciarum non ſemper festinam, ventriculo certiſſimam tamen poenam luent. Veterem conſuetudinem ſimul & ſemel abrumpere nec consultum eſt; absurdissimum tamen foret hinc concludere vitia Diætæ, utpote abuſum Coffeæ, Theæ, Nicotianæ &c. non corrigenda eſt. Optime enim dixit *HIPPOCRATES*, *quod paullatum & ſuccellive fit, illud tuto fit; quæ ſemper & ubique regula erit ſolemnis in Scholis Diæticorum.*

REG. XVI:ta.

Pharmacis & quibuscumque vires corporis franguntur caute utaris, ne iisdem ſenectutem tibi accleres præmaturam; nec tamen neceſſitate urgente illa refuges, quibus vitæ pericula avertere potes.

Unus nimium quantum pharmaci quasi ex consuetudine utitur, vomit, purgat, venam secat, aërem & cibum fugit; alter omnem valetudinis curam socordissime negligit, usque quo medicina nil valet; ambo quidem peccant in semet ipsos, quis vero gravius, vix dixerimus. Omnia evacuantia e. gr. venæ sectiones, scarificationes, vomitiones, purgationes & quæ reliqua sunt, quantum cum conservatione sanitatis evitare potes, caveas, quandoquidem vires non solum frangunt, verum etiam concretiones vasorum præmaturas promovent. Nec minus tempore secundæ valetudinis, fugias omnia alterantia e. g. Aromata, spirituosa saturata, acria, mercurialia; cum humores vel solvant vel coagulent, maxime vero opiate & narcotica, inter quæ Tabacum merito referas. Vsu hujus, ut supra diximus, dominus inquinatur, dentes nigrescunt, salivalis latex profunditur, digestio ciborum & sanguificatio destruitur, functionesque animales successive hebetiores redduntur. Unde etiam Apoplexiæ, Epilepsiaæ, Arthritidis, Hæmoptyseos & variorum pectoris vitiorum, Icteri, Tabacis, &c. inde legitur caussam evasisse. Hinc Cel. TISSOTUS in Epist. pract. pag. 337, aperte fatetur, se neminem Tabaci fumo nimis deditum novisse, qui ad senilem pervernerit ætatem. Cfr. Reg. XII. ad finem.

REG. XVII:ma.

Sua sorte contentus felicissimus est.

Per totam vitam contentus esse omnibus, quæ accidere possunt rebus, semperque affectus suos inordinatos refrenare posse, beneficium utique est maximum a summo

summo Numine concessum, quod præ omnibus regulis Diæticis plurimum confert ad ætatem nostram prolongandam. Felix est ille, qui impetus horum violentos ab infantia compescere didicit, nec perdita educatione, nec pravis exemplis seductus adeo laxas illis dedit habenas, ut vim exerceant naturæ illiusque maxime inversæ. Affectus, qui originem suam morbis debent, his convenienti prophylaxi moderandi sunt; qui iterum a differentia temperamentorum derivantur, quoad partem corrigi possunt, si modo secundum Reg. nostram vi. temperamentum sic dictum temperatum corpori nostro comparemus. Ut vero rite semper & ubique cohibeantur, internam animæ pacem mentisque tranquillitatem, quoad possumus, nobis conciliare debemus. Et quemadmodum affectus diversi, diverso etiam modo in corpus nostrum agunt, ita quoque effectus eorum, quo ad partem contrariis temperari possunt. Nimius mœror corpori nostro omne robur atque elasticitatem adimit, somnum diminuit, apetitum debilitat, obstructions caussatur, imprimis si cum desperatione conjungitur. Gaudium e contrario elasticitatem fibrarum corporis auget, circulationem sanguinis, concoctionem cibi, se- & excretiones omnes optime promovet; & ut spes læta has omnes egregie sublevat, prono fluit alveo, conversationes amicorum hilarum, nuntii fausti, & quæcunque spem addant lætam, cum motu corporis unita, mœstitia langventibus & terrore exhaustis remedia esse efficacissima, immo quæcunque virtuosum s. honestum amorem restituant. Ira quidem fortiorum functionum vitalium excitat motum, ut etiam febres haud raro ex illo oriuntur, sanitati ideoque nostræ non conductit, ob noxios in primis ejus effectus in hepar, terroribus tamen, quibus sanguis ad interiora compellitur, vehementia ejus interdum refrenari potest. Ex omnibus tamen lætitia modica saluberrimus & vere

Cardiacus dicendus est affectus, quia latiss diffunditur per universum corpus calor, sine turbatione bilis, eaque propter optimum longæ vitæ & sanitatis est præsidium. Quo vero mentis hilaritas nostra semper sit sors, præter id, quod supra diximus, etiam indigentias nostras arctioribus limitibus circumscribere debemus; itaque contenti esse nostra fortuna, licet leveriori nos adspiceret fronte. Nam nimia alicujus rei cupiditas nimias semper secum fert curas & sollicitudines, quibus semper conjungitur tristitia, quæ mirum in modum venerandam canitiem minuit, dum moderatio passionum & tranquillitas animi valetudini impense favent. Sua sorte contenti, optime negotia sua gerere possunt, & cui animus est tranquillus, corpus ejus floret. Felix ille terque beatus, cui illo semper ubique frui liceat.

REG. XVIII:va.

Medium tenere beati est.

Licet veritas hujus regulæ ita evidens sit, ut eam palpabilem diceres, & ita universalis, ut ad quascunque res mundanas se extendat, pauci tamen ejus cura tanguntur & adhuc pauciores ad illam vitam suam dirigunt. Non hujus est loci, exponere summam ejus & utilitatem & necessitatem in macrocosmo & vita communi; nobis sufficiat, hac vice paucis demonstrare, eximum utrum, quem præstat in prophylaxi sanitatis, modo uti decet, semper & ubique observetur. Nihil a deo sanum est, quin nimio usu noceat. Quod ad cibum nostrum adtinet, recte monuit summus noster a LINNE; *Alimenta a toxicis, uti medicamenta a venenis,*

non natura sed dosis distingvit. Immo GALENUS pleno affirmat ore, omnem repletionem esse malam panis vero pessimam. Neque tamen temperantia immodica utilis ut dixit CELSUS nunquam utilis est nimia satietas, s^epe inutilis nimia abstinentia. S^epe si qua intemperantia subest, durior est in potionē, quam in esca. Attamen in utriusque, ut monuit recte Celeb. MEAD libr. cit. pag. 171. Aliquid dandum esse consuetudini, (in primis in esca), in frigidioribus præsertim regionibus, qualis est nostra nam in his ut acrior ciborum appetentia, ita facilior est concoctio. In potulentis senes aliquid addere & de cibo demere debent, sed caveant insimul sibi, ne diurna crapula nocturnam quietem turbent. Post multas potionēs, quæ aliquantum sitim excesserunt, nihil edendum est, post satietatem nihil agendum. Si quis interdiu se implevit, post cibum neque frigori, neque aestui, neque labori se debet committere. Neque enim tam facile hœc inani corpori, quam replete nocent. Si quibus de caussis futura inedia est, labor omnis vitandus, monuit CELSUS ne humores tanto aciores in evadant. Inter principia & fundamenta salutis meirito habendum est, exhausta replere & nimis repleta ac superstua evacuare; nec enim obesitas, nec nimia macilentia signa valetudinis sunt, quin prior diminuto somno, alimentis oligochylis & decenti motu corrigenda est, & posterior lacticiniis, cibis eupeptis & abstinentia ab eiusmodi laboribus, qui & corpus & animam simul languefaciunt, præcavenda est. Solerter eo modo mensura quærenda est inter in- & egesta, pariter ac inter excretiones & retentiones; ne abundantiores nos morbosos & tabidos reddant. Non minus in somno & vigiliis, quam in quiete & motu justa proporcio observanda est, ad mentis nimirum corporisque revivificationem; & quamvis GALENUS cum de senectutis fomento agit, ex Homero consilium adducat,

*Ut lavit, sumsitque cibum, det membra sopori,
Hæc sunt justa seni.*

Prolixiores tamen somni etjam his in omni sunt. Et quemadmodum vita nimis otiosa & somnolenta semper est noxia, sic etjam excessus in laboribus, vel corporis vel animæ, valetudinariis inprimis, minime conductit; frangit enim vires, & corpus solvit, crebra meditatio & vehemens exercitatio. Nimis etjam caloris & frigoris impatientes sunt sedentarii, ideoque ad monitum CELSI, sibi caveant, ne modo frigus, modo calor moveat; quo exquisitor teneritudo, eo minor tempestatum tolerantia. Hinc etjam Urbani saepius gravedine atque Tussi variisque Catarrhis laborant, eamque ob causam, tanto magis sibi a frigore pedum cavere debent, ne caput & ventriculus, maxime vero fauces & pectus inde graventur. Cum vero hæc cutis dispositio ad catarrhos, quoad maximam partem originem suam ducat a nimia ejus laxitate, quemadmodum etjam a repletione vasorum minimorum; cuique hinc patet, quantum vita nimis sedentaria, nimia timiditas, violentia aëris sub dio, nimia potatio, iusto major calor, nimiaeque vestes, imprimis pelliceæ, ad hæc disponant mala, & qua ratione educatio mollis & effeminata æque periculosa sit sanitati, ac nimis dura, nisi fortassis periculosior. Nemo tamen hinc concludat, aliquem, induratione quadam ut ita dicamus, posse semet omnibus rebus perferendis adiuvare, vel aliorum, ad quamlibet normam, exactam vivendi rationem, esse supra omnem modum arctis inclusam cancellis. Scrutetur quilibet naturæ suæ vim & defectus, & illis rite cognitis, vitæ regulas sibi formet, inter quas semper recordetur hujus: quod saepius corpori tuo nocivum esse expertus es, id ut nimium & naturæ inimicum in posterum effuge; ne repetitis vicibus, graviora tibi inducas mala. Non est hujus loci, neque hæc pagellæ

gellæ permittunt, prolixius ut demonstremus, quo modo vel in excessu, vel in defectu, fere in omni re, errare possimus. Ex jam dictis abunde patet, omne nimum esse naturæ nostræ inimicum, ideoque evitandum; etjam quam necessarium sit sapienti & Diætetico, in omni vita medium tenere, servare modum, naturamque minimis contentam sequi, finemque absolvere; immo quantæ sit utilitatis in prophylaxi recordatio hujus regulæ: medium tenete!

Qui vero nec hanc, nec cæteras nostras, huic quoad maximam partem innitentes regulas, vult agnoscere, illi certe responsum a D:no D. Schbarboury D:næ cuidam voluptuosius viventi datum, proponimus: *aut minus o-
pipare Tibi vivendum est, aut corpus plenius exercen-
dum, aut Pharmaca devoranda, aut ægrotandum est.*

Corrigenda.

pag. 4. lin 7. eadem, lege iisdem. pag. 6. l. 17. in-
quam l. inquimus. pag. 7. lin. 3. *Labores &c.* lege: Ad
variantes itaque & Animi & Corporis occupationes - - -
se distineat atque accommodet. lin. 12. neut- lege neuti-
pag. 8. lin. 9.; *quas itaque cognoscere &c.* lege. Sed præ-
terea etjam scire simul &c. lin. 15. *singulas,* lege: singu-
læ. pag. 10. lin. 10. *Me,* lege nos. *statuerem,* l. statue-
remus. pag. 16. l. 19. *tenuem & dilutum;* lege vappidum
atque mucosum. pag 22. l. 17. *Continuæ l.* Continentes.
pag. 28. l. 8. post *inspisset*, adde Cfr. Illustr. v. HALLEI
Elem. Phys. T. II. pag. 83. 129. 362. 364. nervos stimulet
& fibras apprime vigeat; sedentariis &c pag. 26. l. 19.
Si lege Cum. l. 20. *adduc non,* lege: rarissime adhuc. lin.
21. *peragerentur,* lege: peragantur. pag. 30.l. ult. lege si-
ne gravi noxa.